



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

S. Fronto Abbas. 14. Aprilis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42032

quàm dici aut credi potest, graves, facilè tamen omnes redimebat. Genium tutelarem ducem ad ea loca, quæ CHRISTVS olim præsentia suâ nobilitavit, ad purgantes inter flammæ & beatas sedes habuit. Ab eodem donum è primæ parentis hortu lignum tulit odore nobile: ut inde una jam vel virginitas vel patientia sperare quid posse videatur. In subsidium pauperum ipsa pauperrima peculium tamè corrogabat, & IESV *crumenam* dictitabat, cui profectò omnes, cum audient, avari inuidebunt, quippe quæ exhauriri nunquam potuit. Homini facinoroso suasit, plumis in unum latus noctem incumberet. Risit ille, sed cum hoc in plumis non posset, ne in flammis olim posse cogere tur, fleuit deinceps. At LYDWINA anno Christi M. CCCC. XXX. ægritudinis assidue ac multiplicis XXXVIII. cum id dolorum incrementum impetrasset, ut ignibus nihil superesset piandum, mortua tandem est, vel, ut rectius loquar, tandem desit mori. Ex Io. Bruggmano.

Corporea omnia, & quidquid fluxum est & caducum aspernans, totum te caelesti Patri addicas, nec presenti tempori, sed futuro ævo vivas, mortisque meditationem, ut Plato ait, hanc vitam existimes. S. Greg. Naz. ad Philagr.

S. FRONTO ABBAS 14. Aprilis.

Ridiculi homines, morituri ne moriamur fame, extimescimus. Commeatum in annos comportamus, diem victuri: horrea struimus, sepulchrum subituri, formicæ dicam an homines? Nimirum qui vitam dedit, victum vitæ extra urbis fora non poterit dare? Quasi verò si ille velit, etiam inter medias epulas non Midæ, inter aquas non

non Tantalī simus? contrā, ubi ille velit, non aëre
 seges exurgat, in fonte vinea? Certè rupē aquam
 dedisse memini, cumque terra negaret panes cæ-
 lo pluiffē etiam in deserto: Ite Reges, castra culi-
 narum struite, aciem coquorum ducite, famem
 oppugnaturi. Vincam ego vestram superbiam, aut
 nemo, aut cælum mihi opsonabit. Hæc aut similia
 his cum animo suo FRONTO; hæc ad pulcherrimi
 propositi socios LXX. quos omnes secum ex urbe
 in loca deserta ab hominibus sed non DEO etiam
 eduxit. Nec fefellit ingens animus, & spes tam
 generosa. Providit Numen, & alienam avaritiam
 paupertati iussit FRONTONIS servire. Ergo Ange-
 lus ad dormientem nescio quem divitem: tu equi-
 dem in rerum omnium affluentia jam copiam
 etiam fastidis, at Christus interim in servis suis
 cum inopia & adeo fame conficitur. Non audiit
 hæc Euclio, sed iterum in utramque aurem dor-
 mivit. Ergo aures aliter vellicavit, plagasque, ut
 somno crederet, addidit. Tum demum quid sibi
 cælum veller, penitus visus intelligere, & cibarius
 LXX. mulos onustos, cum nesciret ubi FRONTO
 ageret, sine ductore in incertum dimisit. At illi
 recta inde ad FRONTONEM, inde exonerati ad di-
 vitem iterum, qui miraculo motus anniversariam
 deinde eam liberalitatem esse voluit. *Ex vit PP.*

*Avare fac tibi sacculos, & fac iubente Deo, sed fac
 eroganda; quia quidquid pauper acceperit, Pater cale-
 stis suscipit: & ubi recondit? In cælo, & ne fortè per-
 didisse te aoleas vel usuram, centuplum percipies,
 quidquid in calum paupere pramiseris perseverante,
 S, Chrysol. l. 25,*

S. EVTY-